



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Capitulum V. Non est.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

ni, aut alia Sanctorum limina visitandi, ad Religiosi habitus assumptionem professionemque, nondum perfoluto voto, suscipi possent; affirmat Papa, eò quòd voti emissi transgressor censeri non debet, qui temporale Deo promissum, obsequium, in perpetuam Religionis observantiam commutat.

SUMMARIUM.

Votum Deo factum, quaecumque illud sit, per professionem Religiosam tollitur, commutatione in melius facta.

Notandum. Omne votum Deo editum, per professionem in Religione, commutatione quadam in melius, ideòque gratius obsequium, penitus tollitur, idque ipso jure tum Ecclesiastico, tum naturali divino, prout declarat Sanchez l. 5. mor. c. 5. n. 48. & S. Thomas 2. 2. 2. q. 88. a. 12. ad 1. Paludanus in 4. dist. 38. q. 4. ad 2, & indicatur in hoc c. quòd omnia particularia obsequia Deo promissa, ac debita meliore & eminentiore quadam ratione contineantur in perpetuam, ac totali, sive secundum omnes facultates hominis, Deo promisso obsequio per professionem in Religione; sicuti, si aliquis varijs debitis alteri adstrictus, omnia bona sua habita, seque ipsum penitus traderet in servum, is plenissimè satisfaceret, & priore debita ipso facto, & jure ipso extingueret, sicuti explicavi l. 4. t. 5. c. 10. n. 3.

CAPITULUM V.

Non est.

PARAPHRASIS.

Voti sui transgressor non est, qui illud Sedis Apostolicæ autoritate distulit adimplere; quare cum perturbato Regno Hungariæ, Rex non modicum detrimentum passurus esset, si Strigoniensis Archiepiscopus, cujus ille consilio, & auxilio indigeret, Votum suum Jerosolymam proficiscendi adimpleret, ideò Innoc. III. mandat Archiepiscopo, ut non prius iter illud instituat, quam regnum pacatum sit, vel

ab ipso Pontifice proficiscendi mandatum acceperit.

SUMMARIUM.

1. *Votum, sine temporis definitione factum impleri debet, cum commode potest, ita, ut si justa causa sit differenda executionis, non sit prævaricatio executionis dilatio.*
2. *Ecclesiastici an possint esse Ministri Principum secularium.*

Notandum primum. Votum absolute, & sine temporis definitione editum impleri debet, cum primum, consideratis omnibus, commode impleri potest. Sumitur ex c. 23. Deuter. 21. cum Votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere &c. Eccles. c. 5. v. 3. si quid vovisti, ne moreris reddere; & colligitur ex hoc c. Quando verò dilatio Voti à transgressione excusetur, Superioris auctoritas requiritur, & quasi quadam dispensatio, uti hic Abb. notavit n. 2. & 3. Ratio est, quòd hæc sit natura cujusque promissionis, & virtualis intentio promittentis, si nulla determinatio facta est, ut executio, sive solutio fiat, cum primum judicio prudentis commode fieri potest. argum. L. eum qui 41. §. quoties ff. de verb. oblig. Infi. eodem tit. §. omnis stipulatio, ubi Glossa v. confestim, & docent DD. in L. si. domus 21. §. in pecunia ubi Glossa v. modicum ff. de legatis 1.

Scire tamen debemus, Deum non esse rigidum promissorum exactorem, ideòque sufficientem causam fore differendi Votum, ut postea commodius, quietius ac majore cum devotione impleas, uti docet Sylv. v. votum 2. q. 3. quod super s. hoc tit. Sanchez c. 4. de Voto c. 14. n. 4. & sumitur ex cap. Quod super 8. h. t. Secus tamè est, si nulla differendi justa causa sit, si tamè maneat exequendi certa voluntas, non debet censeri peccatum grave, cum non sit prævaricatio voti secundum substantiam, sed tantum secundum temporis qualitatem, ut docet idem Sanchez n. 16. & 21.

Excipe primò. Nisi Votum, cujus exequendi opportunitas erat, verteretur circa obsequi-

sequium successivum, v. g. inferviendi Xenodochio, ingrediendi Religionem &c. tantundem enim obsequij, & cultus Deo promissi subtrahitur, quantum temporis negligentia labitur, ut notârunt *Sanchez* t. 3. in 3. p. q. 71. disp. 31. l. 2. *Sanchez* n. 22. Excipe secundò. Nisi vovens prævideat se- cuturum impedimentum perpetuum Voti exequendi, ut tradit *Sylv.* l. c. *Sanchez* n. 17. Quæres, cum in casu hujus *cap.* adfuerit legitima causa Voti differendi, cur opus fuerit Pontificis autoritate, & dispensatione? Respondetur, vel quia Archiepiscopus dubitabat, utram legitima adesset causa; in dubio autem ad Superiorem recurrendum *argum. c. sequentis*, ubi *Glossa* notat *v. noluisse*. Vel quia Pontifex ad consulendum tranquillitati conscientia, autoritatem suam interposuit; præsertim, cum accidere potuerit, ut postea non esset exequendi Voti occasio.

Notandum secundò. Episcopi, Prælati, & alia Ecclesiastica Personæ possunt esse Regum, Principum &c. Cancellarij, Consiliarij, & Judices, ut reip. seu bono publ. patriæ consultum sit, cum per id etiam in Ecclesiam utilitas promanet. Ita *Sanchez* ex hoc c. & not. *Abbas* n. 4. & *exc.* 4. de rapt. & docui l. 1. r. 1. p. 5. c. 8. n. 5.

CAPITULUM VI.

Licet.

PARAPHRASIS.

Pro intellectu hujus c. adverte primò. Cum filius Regis Hungariæ Andreas secundò genitus Votum paternum, de subsidio terræ sanctæ per manum militarem affe- rendo, exequi debuerit, causam non esse, quia hæreditatem paternam accepit; nam Votum illud, saltem quatenus personale fuit, non potuit transire ad personam filij, aut hæredis, juxta ea, quæ docui in *tit.* 4. neque fuisset ulla ratio, cur secundò genitus potius, quam alij filij onus hoc sustineret; sed causa obligationis

clare in textu exprimitur, quia pater mo- riturus secundò genito hanc obligationem impotuit, ejusque fidei commisit, qui etiam non tantum acceptavit, sed etiam Voto se ipse obligavit, mox signo Crucis sibi assumpto, Solebant enim, qui Votum peregrinationis ad terram sanctam conceperant, mox Crucem in pectore (sicuti jam crucigeri solent) pos- stare in signum editi Voti, ut videtur apud *Sanchez* l. 13. c. 48. §. 4. & docui eodem t. 4. c. 4. n. 14. ea propter patriam ex fide data, & jurata patri, patrium Voto Deo edito filius obligatus erat. Valde etiam credibile est, Regem ante mortem præparasse exercitum, & viros necessarios ad expeditionem, eaque co- pias filio tradidisse, quibus rariis im- dolosè contra fratrem primò genitum, Hungariæ Regem, usus, cladem eadem intulit, & ita pluribus modis deliquit, & paternæ maledictioni se subjecit. Ad- verte secundò. Justas fuisse causas, que Innoc. III. judicis officio assumpto, sub excommunicatione, & alijs penis, præ- ceperit executionem Voti. Prima est, quia ad Ecclesiasticam jurisdictionem per- tinet, compellere ad executionem Voti, aut juramenti editi ad piam causam juxta *c. quod super* 7. de fide instrum. in fine c. 8. de censibus: item executores compelle- re ad ea, quæ ipsi à defuncto patris sui, præstare, præsertim ad pias causas, ad Episcopum spectat *c. si hered.* 6. c. 1. de testamentis. Altera erat, quia, inter Reges, ac Principes Christianos, con- tentiones oriantur, maxime si pacto he- dera, & juramenta, cum Christianis ho- publica pernicie, violari dicantur, cognoscere, & prohibere, ad Romanum Pontificem spectat *c. novit* 13. de p- dicijs.

SUMMARIUM.

1. Hæredis fideicommissa, & accepta executioni mandari debent ad h- rade.